

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Conferentiæ Theologico Morales**

Compendiosè propositæ ac breviter resolutæ Ad Usum Directorum  
Conferentiarum Hebdomadalium ... DD. Parochorum, Curatorum,  
Confessariorūmque omnium

Ex Materia De Actibus Humanis Excerptarum

**Sargar, Elisaeus**

**Augustæ Vindelicorum, 1720**

De Lectione librorum hæreticorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41214**

intento præcepti ( cultui divino , & vacationi Religiosæ ) multum vel parum noceat omittere unam horam , vel laborare una horâ .

Supponendum 2. in materia peccati mortalis , tertiam vel quartam partem cujuscunque totius , notabilem esse , adeoque mortalem , nisi ipsum totum sit exiguum : minorem autem quartâ parte non esse notabilem , sed ex parvitate materiae fieri veniale , nisi secundum se seorsim sumpta valde notabilis sit , aut multum officiat fini intento præcepti . Pro horum clariori intelligentia pono ex Patritio nostro à n. 28. seqq. Responsiones .

### De Lectione librorum hæreticorum.

167. **R**esponsio I. Perpendenda est materia lecta secundum se valde magna , vel valde parva : nam 20. folia v. g. legere , sine dubio mortale est : Titulum tantum , vel unam lineam , veniale . 2. principaliter ratio habenda est finis præcepti sub excommunicatione prohibentis lectionem librorum hæreticorum , nimirum ad cavendum periculum subversionis in fide , quod maximè timendum est in lectione librorum hæreticorum .

Unde regulariter intolerabilis est sententia Tole-  
ti afferentis , unam etiam vel aliam lineam legere ,  
sufficere ad incurriendam censuram , eò quod per-  
fecta hæresis etiam in uno versu contineri possit .  
At ad hoc recte respondet Laym. in lege , præfer-  
tim pænali , spectari id , quod communiter , non  
quod raro contingit : communiter autem non  
injinet

imminet grave periculum ex tam modica libri hæretici lectione.

Econtra nimis laxè *Sanch. Rodriq. Sa & alii apud Dian. p. 5. tr. 5. resol. 42.* integrum paginam majoris voluminis hæretici pro parva materia à mortali & excommunicatione excusant. Placet ergo iudicium *Marchant. trib. Tom. 2. tr. 2. tit. 2. q. 2.* non esse hic attendendam materialem quantitatem penes numerum linearum, vel paginarum magnitudinem, sed morale periculum infectionis ex materia, quæ legitur, contra finem præcepti. v. g. Aperit quis librum hæreticorum, & primo statim intuitu, in primo vel altero paragrapho advertit hæresin, vel errorem contra fidem, & nihilominus pergit legere etiam paucas lineas, is omnino peccat mortaliter, & excommunicationem incurrit; quia & periculo se exposuit, & contra finem legis processit.

### De retentione librorum hæreticorum.

**I68.** *R* E sponsio II. Etiam hic consideranda sunt mora temporis retinendo, intentio retentoris, & principaliter finis legis eam retentionem sub excommunicatione prohibentis ob idem periculum subversionis in fide: tenentia enim dat causam ruinæ. Unde primum agnoscens quis hunc librum esse hæreticum & solum parvo tempore per aliquot horas, aut unum aut alterum diem detinet cum proposito tradendi illum postea, ex partitatem materiae sine dubio excusatur à mortali & censura, & accidente aliquà rationabili causâ vel impedimento, ab omni culpâ. At verò si quis

CON-